



**Tabvlæ Navfragii, Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvæ  
Blattarvm Inclementiam easêre, de Festis ac Dominicis**

Qvarta Navfragii Tabvla Seu Echo Concionvm Aliqvot, Qvæ Blattarum  
inclementiam easêre, de Dominicis & Festis

**Bosquier, Philippe**

**Coloniae, 1618**

F. Philippvs Bos Qviervs Cæsarimontanus, Franciscanus Obs. Prouinc.  
Flandriæ, Lectori suo be neuolo Pacem & Veritatem.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56172)



F. PHILIPPVS BOS QUIERVS  
Casarimontanus, Franciscanus Obs. Pro-  
vinc. Flandria, Lectori suo beneuolo  
Pacem & Verita-  
tem.



Quoniam (lector beneuole) nonnulli, nescio quo genio, bono ne an malo, ipsi viderint, mihi sanè ipsi aut Negligentiæ, aut Ignorantiæ vehementer suspecto, in excudendis, aut castigandis & recudendis quorundam Seraphici Ordinis nostri Autorum scriptis plerisque multis, tacuerunt in librorum frontispicio, ipsos Autores ex Ordine Franciscanorum esse, sed ne quidem eorum proprijs nominibus FRATRIS prænomen (perpetuam illam iam olim hæctenus Religiosorum hominum cuiuscunque classici & probati Ordini notam) præfixerunt, quod in Fr. Petri Galatini volumine de Arcanis Catholicæ Veritatis; in F. Andreæ Vegæ Hispani, & Magistri Salmanticensis; doctissimis illis & copiosissimis de Iustificatione libris Colonia in fol. 1572. editis; in F. Ioannis Feri operibus plerisque omnibus, in Fr. Marci Vigerij Cardinalis Decachordo, etiã nouissimè Duaci per Balthasaré Belle-

Bellerum recuso; & in Fr. Iohannis Pechani Cantuariensis Ecclesie Archipresulis quinque libris Bibliorum Collectaneis edendis omnium Ord. Franciscani hominum, video peccatum esse; Sed & preterea nonnunquam contingit temporum lapsu, alijs aliorum lucubrationes falso adscribi, vt D. Hieronymo quaedam, quae sunt Sophronij; D. Augustino, quae sunt Bede aut alterius; Iohanni Gersoni Imitatio illa Christi, quae est Fr. Thomae de Kempis. Ciceroni in Sallustium responsio vel ab ipso Quintiliano adtribuitur, quae est alicuius declamatoris, ac fortasse Porcij Latronis (si Sebastiano Corrado in Quaestura credimus.) Egoque ipse, tantulus inter Scriptores, nouissimè duplici iniuria sum ab Antonio Posseuino in Apparatu eius sacro Coloniae 1608. edito, affectus, vna, quum *Monomachiam* meam, seu Conciones 40. de tentationibus Christi in deserto alteri adscripsit; altera, quum de me vno scriptore duos fecit, & ex vnus eiusdemque hominis scriptis, altera cuidam *Bosquiero*, altera cuidam *Boskhiero*, quasi alteri Scriptori, adiudicauit, deceptus scilicet vir aliqui doctus & bonus, varia cognominis mei scriptione, quomodò *Bosquierus* nouè (more Patris & Patruorum, & aliorum quorundam cognomiorum tam Auesnis, quam in Gallia: ) modò priscè, imò nouantiquè & Graeco significatu, *Boskhierus* (vt ferè maiores quidam mei) scribere soleo: Sic enim Antonius ille Posseuinus in illo opere, quod nunc dixi, litera P. scribit:

Philippus Boscherius Hannon. Caesarimontanus  
Conuentus D. Francisci Lucemburgi Prouinc. Flandriae

*Guardianus, scripsit opus prenotatum, Orbis Terror,*  
*seu concionum de Finibus Bonorum & Malorum, libri*  
*duobus. Edidit Balihasar Bellerus Duaci anno 1623,*  
*Cum antea euulgasset duos libros quibus Parabolam*  
*filij Prodigij patrio sermone explicat, Qui prior Mötibus*  
*anno 1596. editus, alter Atrebatu anno 1597. prodie-*  
*runt. Notas in Monomachiam Christi incruentam La-*  
*nè, anno 1598.*

Philippus Bosquerius emisit *Monarchiam* (Mo-  
nomachiam dicere voluit) *Iesu Christi & Luciferi*  
*incruentam, seu Concionum XL. (pro. 40.) de tenta-*  
*tionibus Christi in deserto, Notas. Duaci apud heredes*  
*Petri Belleri: & librum inscriptum Ara Cæli, seu Con-*  
*ciones de Honorario à Magis Orientis, Iesu infanti*  
*oblato. Antuerpia apud Gasparem Bellerum ann. 1607.*

Litera vero H. sic: *Henricus V Villot Ord. Mino-*  
*rum, Belga, ex Oppido quod dicitur A Fontibus. Epi-*  
*scopi, in finibus Tractus Leodiensis, scripsit Notas ad*  
*Monarchiam Christi incruentam, &c. Monomachi-*  
*am dicere voluit, quam tamen V Villorius ille*  
*nullam edidit, Magister in Theologicis meus cha-*  
*riſſimus & doctiſſimus, doctior ſanè, quàm ve-*  
*Monomachia illa mea ipſo digna ſit: Quoniã (in-*  
*quam) illa ipſa ſic ſe habent, operæ precium mag-*  
*num mihi fore viſum eſt, ſi hic nomina libro-*  
*rum, quos iam edidit gratia Dei mecum, & quos*  
*pro meis agnoſco, quosque deinceps in lucem Deo*  
*benè fauente ſum daturus, recenſerem, & quibus*  
*quiſque locis, & apud quos editus eſt, indicarem.*  
*Sic enim & Ordinis mei Honori, & rerum veri-*  
*tati, & iuſtitia optimè conſulero, faciens ſcilicet,*  
*vt deinceps nemo bonus in ſuſpicionem plagij*  
*falſo*

falso apud posteros veniat, neminem innocen-  
tem & doctum, mearum si quæ sunt, nugarum, aut  
minus accuratè scriptorum immeritò pudeat; ne-  
mo corniculæ, seu Aesopicæ seu Horatianæ, instar,  
plumis alienis, aliquandò à grege avium repeten-  
dis, superbiat.

Mea igitur sunt, (ita fateor, & agnosco, bone  
Lector) quæ sequuntur, Gallica, Latina.

## GALLICA.

\* *Tragedia noua*, cui Nouaculæ nomen, aduer-  
sus luxum vestium, versu Alexandrino. Edidit  
Carolus Michael Montibus Hannoniæ in 8. æta-  
tis meæ circiter 26.

\* 2. *Oratio funebris*, in Ducem Arschottanum.  
Edidit Petrus Auroy Duaci Catuacorum in 8.  
ætatis 50.

\* 3. *Academia peccatorum*, seu conciones de pro-  
digi Euangelici poteruia & luxu. Edidit Carolus  
Michael, Mōtibus Hānoniæ in 8. ætatis circiter 34.

\* 4. *Flagellum Academicum peccatorū*, de prodigi  
eiusdem per famem virgationem. Edidit Guliel-  
mus Riuerus, Attrebatu in 8. ætatis circiter 35.

\* 5. *Seruitus peccatorum*, seu de Prodigio iam su-  
bulco. Edidit idem Riuerus ibidem in 8. ætatis cir-  
citer 37.

\* 6. *Pœnitentia eiusdem prodigi*, Edidit Oliueri-  
us Varennius Parisiis in 8. & cum eadem recudit  
vniformiter tria prius memorata volumina, &  
corpus vnum ex quatuor fecit, quod Ludonico 13.  
Gallorū Regi, Philippi III. Hispan. Regis Genero  
dicauit,

dicant, eiusque Maieftati in manus ipse dedi, in  
ipfis Luparæ penetralibus, 12. Martij, ipfo D. Gre-  
gorij, ætatis circiter 50.

\* 7. *Consolatio desperantium*, seu Conciones 12.  
de magna Dei in Prodigum Euangelicum, & pec-  
catores omnes feridè pœnitentes comitate; & est  
quinta pars Academiæ peccatorum. Edidit Ioan-  
nes Bogardus Duaci in 8. 1616. ætatis meæ circiter  
55. Prodiit etiam latinè reddita in Germania, vti  
& quatuor præcedentia in Prodigum Euang. vo-  
lumina. Edidit Colonia in 8. meus Crithius 1617.  
incerto adhuc, & mihi ipsi incognito, tum eius  
quam cæterarū partium, Interprete, cui magnam  
nihilominus habeo gratiam.

#### L A T I N A.

\* 1. *Monomachia Christi & Luciferi*, seu Concio-  
num 40. de Tentationibus Christi in deserto, E-  
didit Gulielmus Riuerius Attrebat in 8. ætatis  
circiter 37. Recuderunt correctiorem & auctio-  
rem Petrus Borremanus, Duaci Cattuacorum;  
similiter & Ioannes Crithius meus, Colonia.

\* 2. *Theatrum Patientia*, seu concionum 40. de  
Passione Domini, Notæ. Edidit Balthasar Belle-  
rus, Duaci in 8. ætatis circiter 40. Recudit Ioannes  
Crithius Colonia eodem titulo. Item Petrus  
Borremanus Duaci correctiorem & auctiorem,  
sub nomine Codri Euangelici. Nouissimè eti-  
am meus Crithius sub Codri quoque nomi-  
ne.

\* 3. *Orbis Terror*, seu de Finibus Bonorum &  
malorum.

malorum, Morte & Iudicio. Edidit Petrus Bel-  
lerus, Duaci Catuacorum in 8. ætatis circiter 42.  
Recudit semel & iterum Franciscus Iacobus Mer-  
tzenich Colonia, sumptibus Ioannis Crithij.

\* 4. *Orator Terra Sanctæ*, seu Philippicæ sacræ  
aduersus Turcarum Barbariem, & importunas  
Christianorum discordias, proposito Psalmo  
*Deus uenerunt Gentes*, &c. Dicatus est Paulo V.  
Pont. Opt. Max. Edidit Petrus Borremanus, Dua-  
ci in 8. ætatis circiter 44. Recudit meus Crithius  
Coloniæ.

\* 5. *Ara Cæli* seu Echo Concionum 30. de tri-  
bus Magis, pueri Iesu adoratoribus; proposito E-  
uangelio, *Cum natus esset Iesus in Bethlehem*, &c.  
Edidit Petrus Borremanus, Duaci Catuacorum in  
8. ætatis circiter 45. Recudit meus Crithius, Colo-  
niæ.

\* 6. *Legatus Apostolicus*, seu Echo concionum  
xxxix de Baptistæ Magni, aduersus incæstum, re-  
liquaque Herodis peccata, dicendi libertate, ex va-  
rijs euangelistis. Dicatus Philipp. III. Hisp. Regi.  
Ludouici XIII. Gall. Socero. Edidit meus Cri-  
thius, Colonia in 8. ætatis circiter 50.

\* 7. *Tabula Naufragij*. seu Echo Concionum  
aliquot de Dominicis & Festis. Edidit meus Cri-  
thius, Colonia in 8. ætatis meæ 52.

\* 8. *Secunda Naufragij Tabula*, seu Echo Conci-  
onum aliquot de Dominicis & Festis. Colonia,  
edidit Crithius in 8.

\* 9. *Tertia naufragij Tabula*, seu Echo Concio-  
num aliquot de Festis. Colonia edidit Crithius  
in 8.

\*10. *Quarta naufragij tabula*, seu Echo Con-  
cionum aliquot de Dominicis & festis. Edidit  
Colonix meus Crithius in 8. 1618. ætatis meæ  
circiter 56.

\*11. *Vegetius Christianus*, seu de tota arte milita-  
ri, ad Turcam citò, rutè, secureque debellandum,  
Colonix edidit Crithius 165.

\*12. R. P. F. *Ioannis Houdemii Franciscani* Pas-  
sio Rhythmica, Christianas facta, in libellos sex di-  
stincta, castigata, argumentis libellorum biforij  
aucta, & Ordini D. Francisci vindicata. Edidit  
Matthias Birthon, Luxemburgi in 12. ætatis circi-  
ter 42.

\*13. Chrysofomi Italici, id est, R. P. F. Cor-  
nelij Mufsi Franciscani, Episcopi Bitontini, Con-  
ciones aliquot eloquentissimæ, Romæ habitæ,  
in Canticum B. Mariæ Deiparæ Virginis, *Magni-  
ficat anima mea*. Latine ex Italice factæ. Edidit  
Colonix meus Crithius in 8. 1618.

Hæc iam edita: supersunt verò, vita comite &  
Deo adiutore, edenda.

## GALLICÆ;

\*1. *Supplementum parabole prodigi*, seu lætus eius  
ad suos receptus, per Conciones, toti Aduentui  
seruituras distinctus.

\*2. *Maria Ceruiensis*, Comædia verso Gallico,  
de R. P. F. Iacobo Lescaillero Franciscano cele-  
berrimo, à morbo desperatissimo, ope Matris  
Virginis Ceruiæ curato.



L A T I N A ;

\* 1. *Vltramontana*, seu de Finibus Bonorum & Malorum, Cælo & inferno.

\* 2. *Carcer, & mors Baptista Magni.*

\* 3. *Conciones 40. de Christi Crucifixione.*

\* 4. *Prodigus Allegoricus de Christo expositus 24. Concionibus Athi declamatis, ternis Octauis V. Sacramenti,*

\* 5. *Legationes vltima Oratoris Terra sancta.*

\* 6. *Quinta tabula naufragij, &c.*

\* 7. *Speculum vite B. Francisci, & sociorum eius, accuratè recognitum, & notis marginalibus illustratum.*

\* 8. *Paradoxa Euangelica Concionibus explicata.* Quæ, iam olim & nunc recenter dedi, vides (beneuole Lector) quæque dare in posterum velim, data boni consule, & vt tu sperata quoque consequi, ego dare possim, me precibus tuis apud Deum iuuua, & Vale.

Datum Auesnis, Festo Omnium Sanctorum.  
1617.

*Edictum*